

Imputatque ideo illi, quod animam ex elementis constituat, quod nos quoque ex suis principiis concedemus. At non ex his corporeis elementis eam ab eo constitui concedemus, sed incorporeis intelligibilibusque elementis: talia enim eum constituisse
 5 Simplicius est author, longa illa 1. Physico de veterum dogmatibus digressionem in hunc scribens modum: *Caeterum et Empedocles, cum de intellectuali mundo et sensibili dissereret, et illum huius exemplar archetypum poneretne in utroque haec quatuor principia et elementa: ignem, aerem, aquam, terram et effectrices causas, odium et*
 10 *amicitiam statuit.*

Ex his igitur intelligibilibus elementis animam componere Empedoclem dicimus illaque intellectuali eius terra, aqua, aethere, igne terram hanc corpoream, aquam, aerem, ignem cognoscere affirmamus. Principium enim dicit Empedoclem dixisse animam esse: at horum corporeorum illa incorporea principia esse
 15 Empedocles dixit, cum intellectualem mundum huius exemplar archetypum poneret. Talis ergo haec est Aristotelis obiectioⁱⁱ in Empedoclem, quales fuerunt illae in quatuor theologos.

Similis fere est ea altera libro 3. capite 3:⁵ *Antiqui sane sapere et sentire idem esse dicunt, sicut et Empedocles dixit. Ad praesens enim consilium augetur hominibus. Et alibi. Unde illis semper sapere alia repraesentat.* Nulla hic sensus mentio, consilium et sapere sensum non dicit et ad res praesentes semper aliud atque aliud pro prudentia variat.

25 Qualis ergo est hic Aristotelis interpretatio? Longe alia ab ea quae eorum carminum 1. De ente capite 5. ab eo exponitur:⁶ *Etenim Empedocles mutantibus habitum mutare etiam prudentiam dicit. Ad*

⁵ καὶ οἱ γε ἀρχαῖοι τὸ φρονεῖν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ταὐτὸν εἶναι φασιν ὥσπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε "πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἀέξεται ἀνθρώποισιν" καὶ ἐν ἄλλοις "ὅθεν σφίσις αἰεὶ {καὶ} τὸ φρονεῖν ἄλλοια παρίσταται [παριστᾶ]". [ARIST. de An.427a.21 – 25]

⁶ καὶ γὰρ Ἐμπεδοκλῆς μεταβάλλοντας τὴν ἕξιν μεταβάλλειν φησὶ τὴν φρόνησιν. "πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἐναύξεται [ἀέξεται] ἀνθρώποισιν". καὶ ἐν ἑτέροις δὲ λέγει "ὅσον δ' ἄλλοιοι μετέφυν [Corr. ex ἄλλοίοις μετέφην], τόσον ἀ' σφίσις αἰεὶ καὶ τὸ φρονεῖν ἄλλοια παρίστατο [παριστᾶ]". [ARIST. Metaph. 1009b.17 – 21]

ⁱⁱ Auct. corr. ex obiecto